



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De  
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, MDXXXIV.**

**VD18 90392167**

Q. 2. Quandonam testis peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41032**

ad eam sollicitandam apponitur, quod hâc fit. Et talis adhuc manet in peccato inobedientiæ, & potest obedire præceptis: ergo tenetur.

*Q. 2. Quando nam testis peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem?*

*Resp.* In his casibus 1. Si affirmet ut verum id quod non certò novit. 2. Si dum testari tenetur, occultet se ne interrogetur. 3. Si iudici legitimè interroganti non obediat. 4. Si veritatem occultet c. 1. *de crim. fals.* 5. Si pro dicenda veritate pretium accipiat; non tamen pro labore itineris, impensis, vel lucro cessante. 6. Si falsum testetur, quod est grave scelus, ex Prov, 6. *Sex sunt quæ odit Dominus. . . . testem fallacem. & 21. Testis mendax peribit.* Præter perjurium peccat contra justitiam, & tenetur resarcire omnia damna inde secuta; imò & revocare testimonium cum pari suo damno, & periculo etiam vitæ, si accusatus de ea periclitetur, & retractatio putetur profutura. Quia per injuriam est causa efficax periculi & damni alterius; & in damno æquali melior est conditio innocentis, ejusque potius habenda ratio. Hinc etiam qui alium induxit ad falsum testimonium, tenetur ex justitia eum monere, ut illud revocet: quod si noluerit, tenetur qui induxit, rem totam aperire iudici, etiam cum periculo vitæ, si innocens illud subeat & spes sit retractationem profuturam; quia est causa injusta talis periculi & damni.

Porro

Porro testis qui bonâ fide testificatus est falsum, tenetur ex iustitia suum testimonium retractare si ex eo sequatur damnum alteri. Ita Molina, Lessius, De Lugo & alii. quia quisque tenetur ad procurandum ne ex sua actione sequatur aliis damnum injustum. Peccant similiter contra iustitiam, & tenentur de damno, qui falsa instrumenta conficiunt, aut vera adulterant, & iis ad pervertendum iudicium utuntur. Item qui aliquam scripturam, vel syngrapham aut apocham adulterat, peccat mortaliter, etiamsi ista fiant ad manifestam iniuriam propulsandam & suum ius certum recipiendum: quia ista faciens decipit remp. in re gravi, ac nocet publicæ fidei: unde id graviter legibus veritum est. Hoc tamen casu non tenetur ad restitutionem, cum habeat ius certum ad rem hac via acceptam.

*Q. 3. An tenetur ad restitutionem, qui à iudice etiam in generali citatus se occultat, vel testimonium fraude declinat, vel veritatem reticet?*

*Resp.* Communior sententia asserit. Quia resp. imponit onus ac officium ferendi testimonium post citationem: & sic qui aliquid scit, tenetur ex officio sibi imposito tanquam publica quadam persona veritatem testari: sicut is quia rep. invitus constitueretur iudex, teneretur ex iustitia iudicare. Deinde lex ac iustum præceptum iudicis tribuit. Actori ac  
Reo